



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Alfonso Episcopo & Capitulo Aurien.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

tria ex hac quam ostendimus ratione merito sunt Romano tantum Pontifici reservata: qui licet alios Episcopos vocaverit in partem sollicitudinis, sibi tamen retinuit plenitudinem potestatis. Siquidem ex literis venerabilium fratrum nostrorum Mediolanen. & Ravennat. Archiepiscoporum, & Vercellen. Terdonen. Placentin. Parmen. Lauden. & Mutinien. Episcoporum, & dilectorum filiorum Capituli, Prepositorum, & universi Cleri, Consulum, & populi Papie. accepimus, quod bonae memoriae L. Papiensi Episcopo viam universae carnis ingresso, ipsi Capitulum & Clerus Papie. in te unanimiter convenerunt, te sibi petentes in Episcopum ab apostolica sede concedi; licet, quod negligenter ipsorum ascribimus, ipsi te elegisse scripterint, quem eis eligere non licuit, sed tantummodo postulare: quia cum esses spiritualiter alligatus uxori, nisi facta prius solutione in te non poterat legitimè consentiri. Quia vero in talibus evidens utilitas, & urgens necessitas, secundum instituta canonica, solent & debent attendi; utrum haec postulationem ipsorum favorabilem redderent, & assensu sedis apostolicae non indignam, cum fratribus tractavimus diligenter. Vism est nobis & fratribus nostris non modicum utile, ut de minori civitate ad maiorem, de minus populosa diocesi ad populosiorem, de minus nobili ad nobiliorem Ecclesiam transire debeas: ubi concessum tibi scientia & eloquentia donum ad profectum plurimorum valeas exercere, & creditum tibi talentum sub usuris fertilioribus valeas erogare. Necessarium etiam subtiliter intuentibus videbatur, cum si a sede apostolica nuncij, quos dicti Capitulum & Clerus Papie. ad nos destinarunt, vacui redivissent, praeter personarum laborem & magnitudinem expensarum, quas frustra fecisse dolerent, diffensionis inconveniens Ecclesiae Papiensi forsitan proveniret. quod nobis & Ecclesiae Romanae posset ab aliquibus imputari. De tua igitur idoneitate securi, urchote cuius scientiam, & eloquentiam, ac morum honestatem, nos & fratres nostri plene cognovimus, dum apud sedem eius apostolicam constitutus, & familiaria exempla sequentes, ut verera relinquamus, cum temporibus nostris, de Episcopo in Episcopum, ut Venefranus in Aversanum, de Episcopo in Archiepisco-

pum, ut Gratianopolitanus in Viennen, de Episcopo in Archiepiscopum, ut Tarsen. in Nazaren. de Archiepiscopo in Patriarcham, ut Cæsarien. in Hierosolymitan. & quod plus est, de Archiepiscopo in Summum Pontificem, sicut bona memoriae Urbanus Papa predecessor noster, qui de Mediolanen. Ecclesia fuit in Pontificem Romanum assumptus, translationes fuerint saepius celebratae, supradictorum Capituli & Cleri petitioni clementer annuimus, & ut a Faventin. transeas ad Ecclesiam Papie. de benignitate sedis apostolicae facultatem tibi liberam auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Reat. VI. Id. Augusti.

ALFONSO EPISCOPO  
& Capitulo Aurien.

**P**Ostulatum fuit à nobis ex parte vestrâ quod deliberatione provida unanimiter statuistis ad conservandam indemnitatem Ecclesiae, & repellendam quorundam potentum improbitatem, qui Ecclesiam vestram saepius prægravabant, ne plures trigesinta sex Canonicis liceret in vestra Ecclesia ordinari, auctoritas sedis apostolicae confirmaret. Nos ergo vestris justis postulationibus annuentes, præmissum Canonicorum numerum, sicut à vobis providè noscitur institutus, ratum habentes, salva in omnibus apostolicae sedis auctoritate, præsenti pagina confirmamus; nisi forte in tantum excreverint Ecclesiae facultates, quod ex eis commodè valeat pluribus Canonicis provideri. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c.

R. SANCTORVM MARCELLINI  
& Petri Presbytero Card. Abbati &  
Conventui Cassinen.

**A** pud religiosos extrinseca & aliena commédatio non indiget quem propria & innata intus religio & scientia prærogativa commandant. Et non minus his duobus juvat causa, quam gerit. Virtus enim se se diligit, apernaturque contraria, & similia in similibus delectantur. Quanta enim religione polleat venerabilis frater noster Episcopus sancti Georgij, & locus indicat in quo laudabiliter olim Abbatis implevit officium, urchote in quo vigent regularia instituta, & canonica disciplina servatur, & dignitas ad quam est vocatus, eviden-

Epist. 327.  
Confirmatio  
illorum fratrum  
de numero Ce-  
nonicorum

Epist. 328.  
Ipsius commen-  
dar Episcopum  
S. Georgij, q  
eum liberali-  
ter, donec con-  
validat, aper-